

Cap. 8 [Beato Conrado^g praebetur^h sacrum Christi corpusⁱ ab angelo] Enimvero manus domini nunquam est vacua a munere pietatis, in quocumque invenerit cor bonae voluntatis. Ideoque ampliore charismatum gratia Conradus ditari meruit, quia bonae voluntatis propositum non deseruit. Factum est igitur, ut in una dierum sacrae communionis participium sincera devotione affectaret et tamen gravatus aetate senili et molestia corporali per se missam celebrare non posset. Hora etiam debita praeteriit, qua missam in conventu dici consuetum esset. Interea pervenit ad ipsum verbum consolatorium, quod prior domus ad celebrandam missam se in hospitali praeparasset. Unde gavisus et morae impatiens viribus, quibus potuit, baculo sustentatus illuc festinare cepit. Lassitudine tamen nimia consumptus desideratum locum adire nequivit, sed in ligno media in via^j appposito gratia quiescendi resedit. Cum autem in eadem missa ad eum locum ventum esset, ut de hostia triperita unam partem sacerdos in calicem submitteret, statim paranympheus caelestis a domino missus illic affuit. Hic dispensatione divina partem hostiae, quam sacerdos submisit in calicem, suis purissimis manibus accepit et devoto Conrado ad locum sessionis attulit. Idem angelus stola candida amictus coram angelico viro stans apparuit et ostenso divino sacramento sic ait: „Ecce, consors dilecte, hic praesto est sanctissimum corpus domini, quod ex toto corde desiderasti. Accipe ergo et sume, ut fiat tibi augmentum spiritalis gratiae et pignus futurae gloriae. Ego enim a domino propter hoc missus sum, ut per meum ministerium compleatur tuum desiderium.“ Protinus servus dei ore suo mundissimo reverenter aperto illud de manu angeli accepit et ad interiora animae potius quam corporis traiecit. Beatus ergo homo, qui sic adimplevit desiderium suum, felix devotio, quae tam celerem meruit consequi effectum. Benedictione igitur caelestis cibi completa angelus ait ad Conradum: „Paulisper hic expecta, donec prior tuus veniat. Emarcescit enim cor eius in tristitia propter sacrosanctam hostiam, quam timet sua negligentia esse perditam. Ipsi namque eam de medio calicis abstuli, quam desideratam tibi attuli. Ergo“, inquit, „opus est, ut manifestes ei dei magnalia, quibus elidatur eius tristitia et duplicata redeat laetitia.“ Et his dictis nuntius caelestis ad dominum mittentem rediit. Deinde venienti priori et demisso vultu incedenti Conradus in hilaritate vultus sui et spiritus „Benedicite“, ait, „dilecte pater, nolite turbari neque maestus esse. Magnum enim et mirabile est donum, quod vobis spiri-

g) dahinter gestrichen eff W₁. h) dahinter gestrichen corp W₁. i) dahinter gestrichen p W₁. j) fehlt W₁.